

phano. XIV. de *Johanne Evang.* XV. de *Innocentibus.* XVI. de *IIII<sup>o</sup>. Diebus*, id est, Festis haecenus recensitis simul sumtis. In hoc Sermone sententiam suam de *gloria hominis*, seu naturae humanae, in *Deum assumptæ* urgent Fratres. Sermo XVII. rursus de *natali Domini.* XVIII. de *circumcisione Domini.* XIX. in *Octava Domini.* XX. in *capite Iejunii.* XXI — XXV. de *5. Dominicis Quadr.* XXVI. in *natali S. Gregorii.* XXVII. in *annunciatione Sanctæ Mariæ.* XXVIII. in *Palmis.* XXIX. in *Cena Domini* in quo Sermone egregium, nobis fol. 164. legitur de Veritate Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia testimonium, quod incipit: *Credamus domino dicenti. hoc est corpus meum. hic est sanguis meus. qui cum uana rebus nomina non soleat ponere. non dixit saltim. hoc uocetur corpus meum. hoc uocetur sanguis meus* — *Ac ne recurras ad sacramentum. et putes hoc uerbum tantum ad ecclesie unitatem esse referendum — ac si diceretur. hoc significat ecclesie unitatem que est corpus meum* — *signanter adiecit. quod pro uobis tradetur — quod ecclesie nequaquam aptari poterit, cuius pro nobis neque corpus traditur nec sanguis effunditur &c.* Sermo XXX. in *Mandato*, id est, in *Lotione Pedum.* Ultimus in *Die Sanctæ Resurrectionis Domini.* Vides medium Annum circumactum. Oportebit itaque alicubi et aliam Operis Partem existere, quæ *Sermones*, ut ajunt, *Aestiuales* comple-

atur. Agunt de *Gerboho* atque *Arnone* varii, quos citatos habes apud *Fabric. Bibl. med. Lat. L. 7. et 1. et Hamberger IV. Th. p. 238.* nemo tamen Sermonum nostrorum meminit. Inde raritatem conjice.

## DCCLIII.

Codex partim membranæus, <sup>765</sup> <sub>766</sub> eaque parte Sec. XII. partim chartaceus, eaque parte Sec. XV. Folior. primum 73. tum 26. 8. priorre parte eleganter exaratus haec complectitur: I. Sermones duos de *Dedicatione Ecclesiae*, quorum prior infit: *Templum dei sanctum est quod estis uos.* (Per) *Uerba que modo premisimus domum dei multum commendat apostolus &c.* Alter: *Si quis diligit me sermones meos seruabit &c. Nisi diligamus deum non possumus saluari &c.*

II. fol. 4. Excerpta varia e PP. *Augustino, Leone, Innocentio, Pio, Clemente, Gregorio, Ambrosio*, nullo nexu.

III. fol. 5. p. 2. Sermones duos; de *Aduentu*, cujus initium: *Quoniam presentium Obseruatione dierum utrumque christi aduentum celebramus &c. et de palmis*, cujus initium: *Occurrunt Turbæ cum floribus et palmis redemptori &c.*

IV. fol. 8. De *Sacris Ordinibus.* Initium: *Sacri Ordines fiunt semper in ieiunio secundum primitiuam ecclesiam. quia legitur. ministrantibus illis domino et ieiunantibus dixit spiritus sanctus &c.* Brevis est Institutio liturgica, cujus fon-

fon-

fontes habentur in Collectione Hittorpiana de div. Cath. Ecclesiae Officiis. Colon. 1568. f.

V. fol. 11. p. 2. ἀνεργεαφως Dialogus sequitur, cujus argumentum ex initio discitur: *Velim scire si ex regula s. benedicti eximii preceptoris monachorum esus uolatilium indultus sit sanis monachis &c.* Sub finem ita decidit Collocutor alter: *His igitur rationibus et auctoritatibus freti constanter asserimus consuetudinem monachorum qui excepta reparatione uirium post grauem egritudinem sibi indulgent esum cuiuslibet carnis uel sagine quod pene unum et idem est. et legi et rationi exemplisque patrum antiquissimorum esse contrariam et ideo falce iusticie refecandam.* Autorem Benedictinum fuisse constat e decursu; non tamen eum in Ziegelbaueri Hist. Lit. Ord. P. III. c. 1. Sect. 1. reperi, ubi §. 5. p. 24. B. Hildegardis contrarium sensisse dicitur, cui Noster συγγεγως esse potuit. Tractatum similem dedimus Cod. D. CCCCLXIII. n. 20.

VI. fol. 24. Miscella quaedam, videlicet: 1. Sermo in Paschate: *Hec est dies quam fecit dominus &c. Hodie resurrexit dominus &c.* 2. Sermo exponens, quomodo hec tria in sacro uolumine scripta sint. lamentationes. carmen et ue. Initium: *Pensandum ergo nobis est quomodo &c.* 3. Applicatio Textus Cantici Cant. c. 3. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon &c. ad Ecclesiam.* 4. *In Cena domini.* Expositio triplicis Ritus hoc initio: *Tria hec que hodierno die*

*funt in ecclesia. spiritualiter in nobis et a nobis sunt agenda. id est introductio penitentium. consecratio chrismatis. excussio et benedictio noui ignis &c.* 5. *De XXIII. candelis.* Initium: *Notandum est quid in se spiritualis contineant misterii XXIII. candelę que bis tribus noctibus solent accendi &c.* Ad Matutinum videlicet triduo ante Pascha, hodie XV. imminuto nempe Psalmorum numero. 6. *In Parasceven Lectio.* Initium: *Ait Moyses. Sumite de sanguine agni ac ponite super utrumque postem &c.* adjuncta Gregorii M. expositione: *Sanguis agni est quem bibimus &c.* 7. *Genealogia beatę Marie matris dei.* Initium: *Esmeria et anna fuerunt sorores &c.* 8. VII. *Generationes hominum.* Initium: *Dicitur est quod nulli liceat cognatam suam ducere &c.* Hinc de prohibitione Nuptiarum usque ad septimam generationem, et quomodo Generationes computentur 9. *De Missa.* Brevis commentatio hoc initio: *Missa legatio dicitur. Totum tempus quo christus mundum intrauit &c.*

VII. fol. 32. p. 2. Incipit dialogus magistri hugonis de creatione mundi. Initium: *Quaerit Discipulus: Quid fuit prius quam mundus fieret? Respondet Magister: Solus deus. D. Quamdiu prius fuit? M. Ab eterno. &c.* Quaestio ultima: *Quid dicendum est de pueris ante octauum diem morientibus. quoniam ad illud remedium peruenire non potuerunt? Resp. Hoc dei iudicio relinquendum mihi uidetur.* Quanquam Hugonem a S. Viatore intel-

intelligendum hic censeam, *Dialogus* tamen noster inter Opera ejus haecenus vulgata non habetur. Neque vero is in declaranda solum Creatione versatur, sed totam humanae reparationis *ὁκνομῶν* explicat, modoque tractationis *Elucidarium* illum refert, de quo dixi ad *Cod. CCCL.*

VIII. fol. 53. *Sententię diuersorum.* Ita: *In uita electorum mala precedunt, ut bona sequantur &c.* Maxime in locum *Eccl. c. 3. de Temporibus.* Item *de tribus generibus Vanitatum,* et in illud *Psal. 15. Multiplicatae sunt infirmitates eorum &c.* uti et explanationes aliorum Scripturae locorum. Atque haecenus Membranae Sec. XII. Deinceps Charta Sec. XV.

IX. fol. 1. *Speculum minus editum pro fidelium instructione.* Incipit: *Non est possibile quidem, ut quispiam anime salutem consequatur, nisi et presentem mundum et gloriam ipsius contempserit &c.*

X. fol. 4. *Alterum speculum maius.* Incipit: *Dilectissimi cum simus in via huius miserabilis ac perituri mundi, atque dies nostri transeant velut umbra &c.* Utroque hoc Opusculo caducorum contemptus et cura salutis pie urgetur; difficile tamen est in tanto Speculatorum ejus aevi numero Autorem dispicere.

XI. fol. 14. Opusculum, quod in Praeloquio dicitur *Funiculus triplex,* quem sic definit Autor: *Funiculus hic est vita sancta ex fide uiua spe et caritate in homine obseruata.* Ita Tractatio de tribus Virtutibus theologicis, hoc ini-

Denis *Codd. Theol. V. I. P. III:*

tio: *Cum animaduertentem quam plurimos homines in peccatis mergi &c.* Ad marginem adjecit secunda manus: *Creditur funiculus fidei Jo. huss esse.* Ad quam opinionem firmandam in Opusculi decursu nihil peculiare, ni velis illud: *Aliud est credere deum, aliud credere in deum, aliud credere deo &c.* quod in scriptis suis non semel *Hussum* repetere memini. Ceterum inter ejus Opera *Funiculum* a nemine censeris video.

## DCCLIV.

Codex membraneus lat. Sec. 364  
XIII. Folior. 112. f. nitide exaratus, rubricisque distinctus complectitur *Odonis* jam *Cod. CCCXLVI.* memorati primum *Belliprati,* dein *Morimundi* in *Dioec. Lingon.* Abbatis O. Cisterc. anno 1161. vivis erepti *Sermones,* de quibus quaedam *Prologi* audire iuvat. *Ut in nouo opere ueteris recordemur exempli — Hec dicta sunt, ut subsequens opus et paruum humileque fateamur. et utile non negemus. Multos tamen ad hoc habendum auctoris dilectio incitat. quia proprium est diligentis dilecti facta uel dicta uenerari et amare propensius ideoque studiosius recolere. Venerabilis enim uiri domni odonis Morimundensis abbatis ingenio et eruditione clarissimi eloquio facundi sequens series expositiones quasdam patefaciet. et sermones quos uel regulari more in capitulo habuit. uel seorsum quibusdam differuit. uel aperuit querentibus. Que omnia si proprio excepisset stilo forent profecto*

P

festo